



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

talē duarum personarum, quā eorū qui dicunt unionem factam esse in natura; quando enim duæ naturæ completæ uniuntur solum per modum dispositionis & ordinis, aut simili alio modo, unio est accidentalī, & naturæ illæ trahunt secum sua supposita, ut patet in compositione domus, exercitus &c.

Quoad secundam verò partem probatur, tum quia natura divina transmutari nequit aut corrumpi, cum sit omnino immutabilis & incorruptibilis; tum etiam quando aliqua plurimū distant, ita ut unum in virtute potentius sit alio, non potest fieri ex illis mixtio, quia per illud potentius, aliud consumitur, ut patet cum partim aquæ amphoræ vini apponitur: unde si per transmutationem divinā & humanā natura in Christo unirentur, divinā natura, quæ potentissima est, converteretur in se humanam. Addit S. Doctor, quod si hoc modo divinā & humanā natura in Christo unirentur, Christus non esset ejusdem naturæ cum Patre, nec cum Matre; id enim quod est commixtum, cum nullo miscibilium est idem specie, differt enim specie caro à quolibet elementorum.

Denique Minor quoad tertiam partem suadet, tum quia utraque natura in Christo secundum suam rationem perfectā & completa remansit: tum etiam, quia Deus non potest esse forma alicujus, præsertim corporei.

Dico secundò: Unio Verbi Divini cum humanitate, facta est in persona.

Hæc etiam conclusio est certa de fide, & definita in varijs Concilijs contra Nestorium, præsertim in Ephesino, in quo propter oppositum errorem Nestorius à Patriarchatu Constantinopolitano depositus est: in Calcedonenſi actione 7. & in sexta Synodo Generali actione 4. Colligitur etiam ex Symbolo Athanasij, ubi Christus unus dicitur, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Item in Pontificali Romano consecrandus in Episcopum interrogatur: *Credis Filium Dei Christum in duabus naturis subsistentem?* Et respondet, *Credo*: ut hac professione fidei, errori Eutichetis, qui unicam in Christo naturam, & Nestorij, qui duas in eo personas credebat, abrenuntiet.

Probatur etiam conclusio ratione D. Thomæ: Secundum fidem Catholicam natura humana per mysterium Incarnationis verè & realiter fuit unita Verbo Divino: Sed illa unio non fuit in natura, ut contra Eutichem ostendimus: Ergo necessariò fuit in persona tanquam in termino unionis. Consequentia patet, nulla enim alia potest intelligi unio Verbi, nisi vel in natura, vel in persona: unio enim secundum affectum, vel secundum aliquam eximiam gratiam, personæ amatæ collatam, qualem solum in Christo admittebat Nestorius, tres personas sanctissimæ Trinitatis æqualiter respicit, quia opera ad extra sunt toti Trinitati communia.

Confirmatur: Per mysterium Incarnationis Deus & homo de se invicem prædicantur: istæ enim propositiones, *Deus est homo*, & *homo est Deus*, verissimæ sunt & Catholicæ: Ergo per Incarnationem divinā & humanā natura unitæ fuerunt in unico supposito Verbi Divini. Consequentia patet, nam duæ naturæ non possunt in concreto de se invicem prædicari, nisi ratione unitatis suppositi in quo conveniunt: idcirco enim hæc propositio est vera, *album est dulce*, quia album & dulcedo uniuntur in eodem supposito.

§ II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem auctoritatem D. Cyrilli, quæ refertur in Concilio Calcedonenſi actione 1. *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Verbi Dei incarnatam*. Ergo unio naturæ humanæ ad Verbum est facta in natura.

Respondeo cum D. Thoma hic art. 1. ad 1. auctoritatem illam Cyrilli exponi in 5. Synodo generali act. 5. his verbis: *Si quis naturam Verbi Dei incarnatam dicens, non sic accipiat sicut Patres docuerunt, quia ex divina natura & humana unio est secundum substantiam facta, sed ex talibus vocibus, naturam unam sive substantiam divinitatis & carnis Christi introducere conetur, talis Anathema sit*. Non est ergo sensus, quod ex duabus naturis sit una natura constituta, sed quod natura Verbi carnem sibi univit in persona. Ratio autem cur D. Cyrillus ita locutus sit, fuit hæresis Nestorij, qui contendeat in Christo esse duas naturas completas, suas proprias afferentes subsistentias, & consequenter duas personas: unde meritò negat in Christo esse duas naturas in illo sensu, & asserit esse unam naturam, non unitate essentiali, sed personali.

Objicies secundò: Athanasius dicit in Symbolo: *Sicut anima rationalis & caro, unus est homo; ita Deus & homo, unus est Christus*: Sed anima & caro constituunt unam integram hominis naturam: Ergo similiter Deus & homo efficiunt unam Christi naturam.

Respondeo in exemplis quibus hoc mysterium explicatur, non esse querendam perfectam quoad omnia similitudinem, alias non esset singulare, ut Augustinus dicit Epist. 3. ad Volusianum. Unde in exemplo ab Athanasio adducto, non est similitudo quantum ad omnia, sed solum quoad hoc, quod sicut corpus & anima, quamvis diversæ sint naturæ, in una persona conveniunt; ita divinā & humanā naturā, quamvis distinctæ sint, in una persona copulantur. Tenet etiam similitudo quoad hoc, quod sicut corpus trahitur ad esse animæ, ita humanitas ad esse Verbi Divini, licet alias non conveniant in eo quod sicut ex anima & corpore resultat una natura, ita etiam ex humanitate & deitate. Unde Augustinus Epistolā citatā: *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personæ, Deus unitur homini, ut Christus sit*.

Objicies tertio: In Scripturā unum fieri aliud, est unum in alio converti, ut patet ex illo Joan.

2. *Et autem gustavit Architrictimus aquam vinum factam*, id est aquam in vinum conversam: Sed

Joan. 1. dicitur: *Verbum caro factum est*: Ergo in mysterio Incarnationis, natura divina in carnem conversa est.

Confirmatur: Apud SS. Patres, Verbum factum est caro, ad eum modum quo in Eucharistia panis fit corpus Christi. Ita Justinus Martyr apolog. 2. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 4. Cyprianus in serm. de Cœna Domini, Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. Sed panis transmutatur in corpus Christi, ita ut post consecrationem non remaneat amplius panis substantia: Ergo similiter Verbum dicitur factum caro, quia ejus substantia est conversa in carnem.

Ad objectionem respondeo, quod licet aliquando in Scripturā, unum aliud fieri, significet

unum in illud converti, ut in testimonio adducto de aqua vinum facta; pluries tamen non hoc modo sumitur, sed significat acquisitionem alicujus novæ formæ, vel esse, ut patet ex illo, Genes. *Homo factus est in animam viventem*, & ex isto Pauli ad Hebræos 6. *Iesus Pontifex factus*. Quibus locis certum est, ly fieri, non importare conversionem, sed acquisitionem; & hoc modo sumitur in dicto testimonio, *Verbum caro factum est*. Dicitur enim Verbum factum caro, non quia sit conversum in carnem, sed quia assumpsit carnem.

Ad confirmationem dicendum, comparationem illam SS. Patrum in hoc solum esse positam, quod sicut Divinum Verbum veram carnem & sanguinem habuit; ita sub speciebus panis & vini post consecrationem est vera caro & sanguis Christi.

Objicies quartò contra secundam conclusionem: Terminus actionis non potest esse ante actionem: Sed persona Verbi Divini erat ante actionem unitivam humanitatis: Ergo persona Verbi Divini non potuit esse terminus hujus actionis, & consequenter unio humanitatis ad Verbum non potuit esse facta in persona.

Respondeo cum D. Thoma quæst. unicâ de unione Verbi art. 1. ad 5. quod unio non intelligitur terminari ad personam divinam, secundum quod est in se ab æterno una; sed secundum quod est unita humanæ naturæ in tempore; & ita unio secundum nostrum modum intelligendi præcedit personam Verbi Divini, non prout est una, sed prout unita humanæ naturæ. Unde in forma respondeo, distinguendo Majorem: Terminus actionis formaliter sumptus non potest esse ante actionem, concedo Majorem. Terminus actionis materialiter sumptus, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem. Persona Verbi erat ante unionem, ut una, & materialiter, concedo Minorem. Ut unita, & formaliter, nego Minorem & Consequentiam.

Objicies ultimò: Ubi sunt duæ generationes, ibi debent esse duæ personæ: Sed in Christo sunt duæ generationes; una ante sæcula ex Patre, & alia in plenitudine temporum ex B. Virgine: Ergo in illo sunt duæ personæ, & consequenter unio humanitatis ad Verbum, non est facta in persona. Major probatur: Omnis generatio terminatur ad suppositum, vel personam: Ergo duplex generatio, ad duplex suppositum, seu personam terminari debet.

Respondeo negando Majorem, ad probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam: unum enim & idem suppositum, ratione duplicis naturæ, potest terminare duplicem generationem; nam licet suppositum terminet generationem ut quod, tamen ipsa natura terminat ut quo, & per modum termini formalis & specificativi: unde ad terminandam diversam generationem, sufficit distinctio realis naturæ, cum distinctione virtuali suppositi, qualis reperitur in Christo, in quo natura divina & humana subsistunt per subsistentiam Verbi: quare eadem persona Verbi, quatenus suppositum divinum, & prout subsistit in natura divina, secundum quam est simile Patri æterno, terminat generationem æternam; in quantum verò est suppositum humanum, & subsistit in natura humana, secundum quam assimilatur matri, terminat generationem temporalem Beatissimæ Virginis.

§. III.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

EX dictis inferes, unionem humanitatis ad Verbum non posse dici accidentalem prædicamentaliter, aut prædicabiliter.

Prima pars patet: Nam uniri accidentaliter, est quod medium unionis, & in quo fit unio, sit accidens: At id in quo facta est unio duarum naturarum in Christo, non est accidens prædicamentale, sed substantia; est enim facta in persona, ut ostendimus; persona autem non est accidens, sed substantia: Ergo unio humanitatis ad Verbum non potest dici accidentaliter prædicamentaliter. Unde in Concilio Ephesino can. 13. dicitur: *Ex Virgine natum est sacrum corpus, cui substantialiter unitum est Dei Verbum*. Et in 5. Synodo generali act. 5. can. 4. *Qui non confitetur Filium Dei, carni substantialiter uniri, anathema sit*.

Secunda pars est contra Durandum in 3. dist. 6. quæst. 4. ubi etiam cum Catholicis sentiat, unionem humanitatis ad Verbum non esse in accidente factam, sed in persona; docet tamen posse dici humanitatem accidentaliter Verbo advenisse, hoc est accidentaliter prædicabiliter; cujus sententiam approbasse videtur Paludanus in eadem dist. quæst. 1. art. 3. Vera tamen & communis Theologorum sententia asserit, nullatenus esse dicendum humanitatem esse Verbo unitam accidentaliter, Tum ne cum hæreticis in terminis & modo loquendi conveniamus; Tum etiam, quia quod de aliquo prædicatur in quid, non se habet respectu illius per modum accidentis prædicabilis, quod non prædicatur in quid, sed in quale; sed humana natura prædicatur in quid de Verbo seu de Christo, nam D. Thomas infra quæst. 16. art. 1. docet hominem prædicari de Deo prædicatione secundi prædicabilis, sicut species de sua hypostasi. Et Alexander III. in cap. *Cum Christus*, ait: *Cum Christus sit perfectus Deus, & perfectus homo, quâ temeritate audent quidam dicere, quod Christus secundum quod est homo, non est quid?* Ergo humana natura non se habet respectu Verbi per modum accidentis prædicabilis.

Confirmatur: Homo prædicatur univocè de Christo & de alijs hominibus, ut docet D. Thomas infra quæst. 16. art. 6. Sed homo prædicatur in quid de Petro v. g. nam hæc prædicatio, *Petrus est homo*, pertinet ad secundum prædicabile: Ergo pariter de Christo prædicatur in quid & non in quale.

Objicies primò cum Durando: Quod advenit enti completo, unitur illi accidentaliter: Sed humana natura advenit in tempore Verbo Divino habenti esse omnino completum: Ergo est unita illi accidentaliter. Minor patet, Major verò probatur. Illud unitur alicui accidentaliter, quod potest adesse & abesse sine ipsius corruptione: Sed quod advenit enti perfectò & omnino completo, potest adesse & abesse sine ipsius corruptione: Ergo unitur illi accidentaliter.

Respondeo cum D. Thoma hic art. 6. ad 2. distinguendo Majorem: Si non trahatur ad communicationem illius esse completi, concedo; si secus, nego. Unde albedo unitur accidentaliter parieti, nedum quia advenit illi ut habenti esse completum, sed quia non trahitur ad ipsum esse parietis, sed assert proprium esse distinctum. At in resurrectione, quia corpus reunitur animæ præexistenti, & ad esse illius trahetur, non unitur